

16  
1787  
Q. D. B. V.  
DISPUTATIO JURIDICA 33

De His

QVÆ NOBIS IN-  
VITIS ACQUIRUNTUR

Quam

Magnifici Jureconsultorum Ordinis  
Auctoritate & Consensu

SUB PRÆSIDIO

DN. IO. CHRISTIANI  
SCHROETERI

J. U. D. ejusdemque P. P. extraord. ut & Curia  
Provincialis Advocati,

*Patroni, Doctoris ac Fautoris sui omni honoris cultus  
submisse devenerandi*

In Auditorio Jctorum  
hōris consvetis

*Publico Eruditorum examini submittit*

AUTOR & RESPONDENS

JOHANNES CHRISTOPHORUS *Beurmann /*  
Munda - Hannoveranus,

*Ad diem 29. Octobr. Anno M. D. CCI.*

J E N Æ,

Literis WERTHERIANIS.

ss. jur. civ.

16/4





## L. S.



Necessariam & justam esse rerum in hac  
 vita civili acquisitionem, omnes pii &  
 prudentes agnoscunt, ipsaque divina lex,  
 juxta ac gratum illud & stupendum DO-  
 MINAMINI, prima acquisitionum  
 omnium incunabula sistens, aperte confir-  
 mat. Quemadmodum autem in doctrina civili, & æsti-  
 mandis humanis negotiis, semper necesse est, distingui  
 voluntarium à non voluntario, cum absque hac institu-  
 ta consideratione neque de efficacia neque de valore  
 eorum rectè judicari possit; ita non minus in præsentis  
 juris articulo, omne, de sponte & in vite factis acqui-  
 sitionibus, discrimen negligi, valde inoportunum foret.  
 Hinc cum ab itum mihi ex hac Salana paranti, jussu eo-  
 rum quibus resistere minime licet, specimen aliquod  
 profectuum edendum esset, non dubitavi, ex vastissimo  
 acquisitionum corpore, tenuissimam hanc particulam,  
 avellere, & *de his quæ nobis invitis acquiruntur*, pro tem-  
 poris & ingenii mei modulo, theses nonnullas colligere,  
 ac divina aspirante gratia, publicæ discussioni subicere.  
 Quæ si votis tuis, B. L. non per omnia responderint, co-

A 2

gita,

gita, antea minus tritum hocce legale stadium hac in materia ingredienti, cespitare infacili fuisse, & proinde veniam, quam ab humanitate tua mihi polliceor, liberaliter indulge.

§. I.

### *Quis invitus dicatur.*

Quo verò de verborum, in frontispicio disquisitionis hujus comparentium, vi & potestate rectius constet, paucis præmitto, invitum, seu, si mavis, non voluntarium, nobis cum Philosopho hic dici, quod sive ab *in scio*, sive à  *nolente* fit; etsi jureconsulti aliquando ut quis invitus dicatur expressam contradictionem exigant. vid. Brunnem. *ad l. 3. C. Ne fil. pro patr. n. 2.* Unde apparet bipertitum illud esse, inque vim atque necessitudinem & ignorationem ac imprudentiam distribui. At enim violenta ea videntur, quorum causæ extrinsecus adveniunt, neque cum his commune quicquam est ei, qui vim sustinet; atque rursus, aut violenta sunt in se & sua causa simul, aut in se quidem sed non in sua causa. De his verò quæ ab inscientibus fiunt per imprudentiam, ita judicandum est, ut omnino quidem illa voluntaria non sint, sed tum demum verè non voluntaria perhibeantur, cum ignorantia sic comparata est, ut eam tollat scientiam, quæ prohibuisset agendi voluntatem, quæve destitui non debebamus, ita ut cognito postea eo quod ignoratum erat, factum sequatur dolor, seu pœnitentia. Præter quæ sunt etiam nonnulla, quæ, quamvis simpliciter invitis accenseri nequeant, hoc tamen ex invito trahunt, quod ad hujusmodi contra suam inclinationem voluntas adigatur, indeque effectus morales, qui alias actiones mere spontaneas consequuntur, in hisce  
omni-

omnino aut saltem ex parte deficient. Denique cum ad spontaneum requiratur, tum ut agens voluntatis suæ impulsu ad agendum accesserit, tum ut sciverit, quid ageretur; apparet, ubi aut alterutrum horum aut utrumque deficit, invite gestum dici. Gestu vero appellatione etiam non gestum complector, ut quod de actione idem de cessatione aut omissione intelligamus: scilicet & eam esse vel voluntariam, vel non voluntariam. add. Aristot. 3. *Nicomach.* 1. & ibi Joach. Camerar. p. 101. seqq. Dero- don. *de Libertat.* c. 1. §. 18. seqq. Pufendorf. *de Jur. Nat. & Gent.* L. 1, c. 4. §. 9. & 10. Krebs. *Mor. & jur. scient. univ.* L. 1, c. 4. & 5.

§. 2.

*Quid sit acquirere.*

Expediior significatus verbi acquirendi est. Quamvis enim strictissima acceptione acquirere nonnunquam illi demum dicantur, quibus ex causa onerosa, & inter vivos, aliunde quid obvenit, non verò quibus ex re sua, vel successionis aut matrimonii jure, quid accedit, quo modo acquisita conquæstis, (unde est acquæstiren) nec non ex successione obvenientibus bonis aliquando contradistingui, & in vernacula Erb, oder angefallen Guth/ Denen wohlgewonnenen/ erworbenen und erfaufften Guthern opponi solent: Cothmann. *Vol. 1. Resp.* 38. Pet. Wesen- bec. *Cons.* 9. n. 24. Tusch. *lit. A. Concl.* 442. Besold. *Tbes. Pract. lit. G. n.* 58. & *lit. R. n.* 85. Diether. *in add. ib.* in præsentia tamen largius utimur voce hac, pro ut non solum dominii, quacunque ex causa, consecutionem, sed & lucri aut commodi cujusvis conciliationem & adeptionem designat. Neque invitis legibus, opinor, quippe quibus pariter subtile discrimen hoc passim ne-

gligi, & quæstum non tantum cum Paulo *in l. 8. Pro Socio*, qui ex opera cūjusque descendit, intelligi, sed lucrum quoque eo nomine venire *ex l. 52. §. 4. & 5. d. t.* constat; adeo ut speciem acquirendi idem Paulus *in l. 11. pr. de Acceptil.* dixerit, etiam cum dominum obligatione servus liberat, & nostri tam lucrum quam quæstum communi acquirendi vocabulo, gewinnen / exprimant. Rittershus. *ad l. 23. de Reg. jur.* Modest. Pistor. *P. 4. qv. 164. n. 3. seqq.* Sed & illa acquisitionis notatio, quæ necessario cum quadam perpetuitate conjuncta est, ita ut acquirere non videatur, qui restituere cogitur, adstrictior est quam quæ in præsentī placere possit, cum etiam quæ quis revocabiliter tantum acquirit, si non lucrari, certe tamen acquirere dicatur. *arg. l. 1. de Leg. comm. §. 1. Instit. de Donat.* Peregrinus. *de Fideic. art. 40. n. 6.* Franzk. *ad tit. de Rei vindic. n. 65.*

§. 3.

### *Quid sit invito acquiri.*

His in liquido constitutis, apparet describi posse hoc pacto sumptam *acquisitionem quæ invito fit*, quod sit Actus quo alicui non volenti aliquid accedit. *Actum* dico, quod genus hoc negotiis hujusmodi quæ variè expediuntur, præprimis conveniat. Porro actum dixi ejusmodi, quo quid alicui *accedit*, ut tum acquirendi, tum capiendi, tum accipiendi significatus comprehendi innuerem, *vid. l. 140. D. de V. s.* Sed & in *personis* quibus quid accedit, & in *rebus* quæ acquiruntur discrimen nullum constitui, cum non sibi modo sed etiam alteri invito, nec dominum tantum sed & alia pleraque, ut possessio, hæreditas, obligatio, actio, servitutes, liberatio &c. acquiri quandoque invitis possint. Quin nec infantes

tes

tes & furiosos ab acquisitionibus hujusmodi arcemus. Quamvis enim ex doctrina Grotii *Lib. 2. de J. B. P. c. 3. §. 6.* si solum jus naturale spectemus, dominium nisi in eo qui ratione utitur, non dari, nec adeo acquisitio ejus furiosis & infantibus secundum hoc fieri possit; rectius tamen sentire Bœclero *ad d. l. illi videntur*, qui dominium horum etiam ipso jure naturæ niti, nec à gentibus primum introductum, sed explicatum esse docent, quod uberius declarat Ziegler. *ibid.* & Lesius. *de J. & J. L. 2. c. 4. dub. 2.* Multo magis ad nostræ acquisitionis usum, infantes quoque & furiosi suffecerint, quippe quod hæc ad habendi potius, quam per se utendi jus respiciat. *conf. l. 1. §. 5. de Acq. poss. l. 28. de Usurp. & Usuc.* Denique *non volentem* in vicem *inviti* substitui, quod istud planius videatur, & tum eas acquisitiones, quæ simpliciter sunt *invitæ*, tum has quæ secundum quid tales sunt, indeque mixtis accenseri possent, sub se comprehendat, suffragante Ulpiano *l. 8. §. 1. de Procur.* qui *invitum*, ait, *accipere debemus, non eum tantum, qui contradicit, verum eum quoque, qui consensisse non probatur. add. l. 45. §. 5. de R. N.* indeque argumentum ducente Cujacio *ad l. 4. de R. J. in fin.* *invito me videri ædificatum altius, non tantum si noluero, sed etiam si non voluero.*

## §. 4.

*Invito regulariter acquisitionem fieri non posse.*

Quandoquidem autem non modo ea est hominum insatiabilis avaritia, infinitaque rabies acquirendi, ut vix unquam invito quid obvenire possit, sed etiam notissimis juris regulis cautum, acquisitionem non minus quam  
amis-

amissionem consensu & voluntate niti; verendum est, ne cui omnino supervacanea hæc & juri adversa tractatio, qua invitis acquisitionem fieri adstruimus, videatur. Et sane, quod originariam acquisitionem attinet, ipsa occupationis definitio ostendit, absque acquirendi animo eam neutiquam fieri posse. vid. Lauterb. *Comp. t. de Acquir. rer. dom. Textor. Syn. jur. gent. c. 8. n. 15.* Multo minus in illis acquirendi modis, qui ex vi domini promanant, quin duarum voluntatum velut concursus requiratur, dantis nimirum & accipientis, dubitandum est: cum enim nec invito per meram violentiam rem suam eripi, æquum, nec eandem, utpote substantia sua physica à me separatam, mihi sine voluntate & consensu meo velut adjungi, conveniens sit, facile apparet, æque ut transferentem in alienationem consentire, ita & acquirentem, quo à priori domino rem accipiat, voluntate & consensu suo eandem amplecti debere. Pufendorff. *de J. N. G. Lib. c. 9. §. 2.* Grotius. *J. B. P. Lib. 2. c. 6. §. 1. & 2.* Quod, ceu etiam seposita lege civili obtinet, docente Grotio, ita insigne firmamentum per has accepit; utpote quæ non uno loco inculcant, neque dominium, neque possessionem, neque hæreditatem, neque obligationem, aut aliud quodcunque jus sine consensu nostro nobis acquiri posse. Nominatim Javolenus *in l. 55. de Oblig. & act.* in omnibus rebus, inquit, quæ dominium transferunt, concurrat, oportet, affectus ex utraque parte contrahentium: & Ulpianus, *in l. 19. §. 2. de Donat.* non potest liberalitas nolenti acquiri, ait; ex quo D. Gothofredus, *ad l. 32. de Acq. rer. dom.* invito nihil acquiri, conficit. Possessionem quoque nullam nisi animo & corpore acquiri, expeditum est, *l. 37. de Pign. act.*



*act. l. 3. §. 1. l. 8. de Acqv. vel am. poss. l. 153. de R. J. adeo*  
 ut hanc ipsam ob causam furiosum, infantem, pupillum,  
 dormientem non posse incipere possidere, Paulus *in l. 1.*  
*§. 3. l. 32. §. 2. pronunciet. Sed nec hæreditas non vo-*  
*lenti, §. 3. J. de Her. qual. & diff. l. 16. C. de Jure delib.*  
*nec bonorum possessio invito acquiritur. l. 3. §. 3. de Bon.*  
*possess.* Haud diversum circa promissa indeque oriundas  
 obligationes jus obtinet, ut nisi ejus cui promissio fit,  
 consensus accedat, obligatio non quærat: Nam sive  
 venditio, sive donatio, sive conductio, sive quælibet alia  
 causa contrahendi fuit, nisi animus utriusque consentit,  
 perducì ad effectum quod inchoatur, non potest. *d. l. 55.*  
*de Obl. & act. junct. l. 1. §. 3. in fin. de Pact.* Grotius  
*Lib. 2. c. 6. §. 2. & 14.* Scilicet qui alteri rem suam offert,  
 neque invito eandem vult obtrudere, neque pro dereli-  
 cto habere. Ergo si alter non acceptaverit, juri pro-  
 mittentis in rem oblatam nihil decesit, sed ea penes  
 promissorem manet; quantumvis vel juramentum pro-  
 missioni accesserit, quia & hoc ante acceptationem jus  
 non transfert, sed hoc tantum efficit, ne promittenti ob-  
 latum retractare liceat, antequam de alterius recusatio-  
 ne constet. Pufendorff. *L. 3. c. 6. §. 15.* Quin imò ne ea  
 quidem, quorum favore multa etiam contra communes  
 regulas jura constituerunt, in non volentes transeunt;  
 Est enim ubi nec libertas servo non volenti datur, *l. 31.*  
*§. 4. l. 32. §. 1. de Fideicom. libert. l. ult. §. 2. C. de Te-*  
*stam. man.* nec liberis jura patrumfamilias obtruduntur  
*l. 5. f. C. de Eman. lib. Nov. 89. c. 11.* nec filiorum filia-  
 rumque familias jura, invitis acquiruntur, *l. ult. de His*  
*qui sui vel al. jur. sunt.* nec etiam creditor debitorem,  
 ut ut præsentem, invitum tamen, obligationis vinculo

B

libe-

liberat. *l. 91. de Solut.* Cujac. *in l. 62. de Verb. Oblig.* Balduin. *ad §. ult. J. quib. mod. pat. pot. solv.* Jac. Gothofred. *ad l. 69. de Reg. jur.* Joh. à Sande *ib.* Gryphiand. *Oecon. legal. L. 1. c. 9. n. 51. & tr. de Insul. c. 19. n. 14.* Enim verò, & si nec multorum habendi cupiditatem inficias ire, nec communia juris placida, exemplis hæcenus declarata, in dubium vocare ausim, quin potius ultro fatear, si regulam sequamur, invitis non acquiri, quandoque etiam nec meram voluntatem acquirentis sufficere, sed veram & certam ejus scientiam insuper requiri, *per l. 76. de Reg. jur.* attamen & illud mihi dandum arbitror, multa incidere posse, ob quæ à regula recedi necesse, & nonnunquam vel invitis aliquid acquiri dicendum sit. Atque de his ut plenius dispiciamus instituti ratio exigit.

## §. 5.

*Invitis acquiri, quæ ipso jure acquiruntur.*

Principio itaque inter omnes constat, esse quasdam acquisitiones, quas, quia leges *ipso jure* (hoc est, ut celeberrimus Zaunschlifferus *tr. de eo quod fit ipso jure P. 1. tb. 2. & 3.* explicat, illicò, sine facto hominis, aliàs ad eam rem regulariter necessario, tacita juris vi & auctoritate vel potestate) fieri voluerunt, voluntatem acquirentis nequicquam deponere. oppido certum est; sic ut non immerito perdere regulam superius traditam officium suum in acquisitionibus quæ ex dispositione legis procedunt, Jason, Decius & Gothofredus, à Gryphiandro *Oeconom. Legal. L. 1. c. 10. n. 12.* landati, cum Giphano *ad l. 32. de acquir. rer. dom. n. 3.* annotarint.

Nec

Nec est ut mihi quis objiciat, proprietatem & dominium divinæ originis esse, igitur etiam ad divinum, id est naturale, non verò positivum civitatis jus acquisitionem referri debere: vid. Kulpis. *Colleg. Grot. ad L. 2. c. 2. §. 1. in f.* Non enim extat præceptum juris naturalis, quo omnes res ita propriæ hominum jubentur esse, ut cuivis sua portio uno aliquo, hoc jure introducto, modo, unicè sit assignanda, sed potius lex naturalis integrum reliquit, imò suasit, omnibus iis modis rerum assignationem, à Legislatore civili, ad singulos introduci, pro ut ex usu suæ civitatis fore senserit. Qua ratione non tantum leges civiles acquisitionum modos constituere, eosve intendere & extendere, sed etiam ipsum dominium naturaliter acquirendum vi sua antevertere aut etiam prohibere posse, non uno loco traditum, ipsique Cicero probatum est, dum generaliora quædam rerum acquirendarum genera & inter ea, hanc etiam quæ lege fit acquisitionem refert. *de Offic. 1. edit. Rachel. p. 66. Grot. L. 2. c. 2. §. 5. c. 3. §. 5. c. 7. §. 1. c. 8. §. 5. Kulpis. ad L. 2. c. 3. §. 1. c. 6. §. 1. §. 2. c. 7. §. 1. Pufendorff. Elem. jurispr. univ. L. 1. def. 5. §. 15. §. 7. N. G. L. 4. c. 4. §. 4.* Igitur civili quoque Romanorum jure legitimi quidam acquirendarum rerum modi, & in his nonnulli quibus ipso jure acquirimus, inducti sunt, quibus Christianum populum bona conscientia liberè uti, Balduinus evincit. *in Pref. ad tit. de Rer. divis. §. non dicam.* Quæ verò sint quæ dicto modo ipso jure acquiruntur, cum ex instituto, solita dexteritate in jam laudato tractatu celeberrimum Zaunschlifferum exposuisse, (etsi serius quam optaram, suscepta nimirum jam tum tenui hac opera) deprehenderim, actum non agam, sed ad cæteras re-

gulae exceptiones progrediar, summa earum capita, sub-  
jectis nonnullis exemplis, ordine profecuturus.

## §. 6.

*Invitis acquisitiones fieri, quæ juris na-  
tura præcepto, humanitate & pieta-  
te nituntur.*

Alteram igitur acquisitionis quæ invitis fit causam, in præcepto juris naturalis, humanitate atque pietate repositam esse censeo. Nisi enim prorsus fallor, hos potissimum fontes agnoscunt juris illæ dispositiones, quibus pupillis tutores, accusatis defensores, condemnatis provocatio, captis ab hostibus redemptio, aliisque alia, etiam invitis & perire volentibus, præsidia quæruntur. Utique tutelam pupillorum naturali ratione (quippe cui, teste Tullio *in Officiis*, consentaneum est, ineuntis ætatis imbecillitatem majorum natu prudentia regi & constitui debere) niti, Imperator præclare admonet, §. 6. *J. de Attil. tutor.* alibi quoque valde sollicitus, ut lubricum istius ætatis certo fulciatur subsidio; neque minus pietatis & humanitatis instinctus est, ut propensiores simus in eos tuendos, qui nondum per ætatem se tueri possunt. vid. D. Schilter. *Exerc. 37. §. 1. seqq.* adeo ut non temere quidam olim existimarint, utilitati publicæ repugnare hanc conditionem legato adjectam: si pupillus tutores non habuerit: indeque ut alias ejus generis, remittendam esse. *l. 2. §. 44. ad Scutum Treb. juncta l. 15. de Condit. instituc.* Merito igitur non ignorant modo, sed etiam invito pupillo tutorem dari leges voluerunt. *l. 6. de Tutor. & curat. dat.* nisi invitus forte dicen-

dicendus non sit, qui nec velle potest. De minoribus autem, præterquam in certis causis, idem statuendum haud esse, leges Romanæ satis innuunt. *vid. §. 2. Inst. de Curator. l. 13. in fin. de Tutor. & Curat. dat. l. 2. §. ult. qui pet. tut.* Sed utrum non vel alibi hoc eodem jure correctum, vel recentioribus Imperii Constitutionibus sublatum, vel saltem inveterata consuetudine abolitum sit, dubitari videas. Illud Ant. Matthæi, *de Fundam. jur. D. 2. tb. 6. motus lege 1. §. ult. de Minor. propugnat*; cui verò satis fieri ex traditis, Ungepaueri *Exer. justin. 4. qu. 10. Struv. in Evolut. ad Exer. 31. tb. 7. & aliorum nullo negotio potest*: Istud plerique sequuntur, propter expressas Caroli V. *tit. 11. §. 1. & 2. & Rudolphi II. t. 32. sanctiones*, hodie etiam invitis minoribus curatores dari existimantes, Busius *ad l. 1. de Tutel. n. 6. Franzk. L. 1. Refol. 17. n. 32. Mantz. de Tutel. T. 1. qu. 7. n. 111. Lauterbach. Comp. ad tit. de Curator. O. Noric. addit. ad §. 2. Inst. de Curat.* Verum nec harum constitutionum vim asserto huic probando sufficere, optime animadvertit primarius almæ Viadrinæ Antecessor, D. Coccejus, *Hypomn. t. de Curat. §. 2.* Et sane Romanæ quoque Leges passim quidem ita loquuntur, quasi magis etiam expediret invitis curatores dari, nihilominus tamen nusquam cogunt minores eos accipere, & Saxonica jura, quibus hoc idem constitutum Colerus *Dec. 6. n. 12.* putabat, parum recte in hunc sensum pertrahi, D. Schilterus probavit. *Exerc. 37. §. 82.* Restat ergo dicamus, saltem generali Germaniæ consuetudine receptum esse, ut minores non minus quam pupilli invitati curatores accipere teneantur, quod & Carpzov. *L. 5. Resp. 86. n. 36. Struv. Exerc. 31. tb. 7. Noric. d. l. alii- que secuti videntur.* Nec sine ratione, nam & revera

ipse pubes minor maximè opus habet sapienti curatore, utpote qui post pubertatis annos gravioribus affectionum moribus præceps agitur, itaque tum præcipue debet ejus temeritas gubernari consilio majorum, *Balduin. ad §. Inst. de Curat. &* qui cum eo contrahunt aut quid agunt, ob periculum restitutionis, non nisi constituto curatore id facere compellendi sunt. vid. *Struv. jurispr. for. L. 1. lit. 22. Apb. 3. in f.* Quanquam hanc legum Romanarum dispositionem apud alios etiamnum vigere, exemplo suo jus tripartitum Hungariæ confirmet, quippe quò disertis verbis continetur: Weil die Vormünder eigentlich den jüngern Personen/ und wieder ihren Willen/ die curatores aber denen so über 12. Jahr sind / und auf ihr Begehren zugegeben werden. &c. *Schröer. Inst. tutor. P. 1. qu. 18. n. 8.* Illud minus dubii habet, apud eos penes quos foeminis etiam adultis curatores ad litem constitui obtinuit, invitis quoque & reluctantibus dari; cum etiam jam tum apud Romanos invitis minorennibus in hunc casum dati curatores fuerint. *Carpz. P. 2. C. 15. def. 27. Wibel. de Contract. mulier. c. 3. §. 3. n. 89.* Porro etiam reo nolenti & invito defensionem quærendam esse nemo ignorat, id quod vel communis, quam ipsa natura inter omnes homines constituit, cognatio exigere videtur. Unde favore defensionis, ut alias sæpissime à juris regulis receditur, (teste *Carpzovio Prax. crim. P. 1. qu. 33. n. 10. P. 2. qu. 59. n. 40. §. 3. qu. 115. n. 47.* ejusque acerrimo antagonista *Oldekoppio, contra Carpzov. qu. 5. n. 52.*) ita defensionis causa & ab hac, quæ invito nihil acquiri docet, recedendum non minus est. *Zanger. de Quæst. c. 3. n. 17.* Faceffat ergo *Josephi Ludovici comm. opinion. conclus. 38. illas. 98.* doctrina, existimantis; si Principes justos haberent

rent

rent iudices, bonum fore facere legem, mandantem non dari reis copias indiciorum & sic defensiones: quanto rectius Farinacius, *Prax. crim. Lib. 1. tit. 5. qu. 39. n. 22.* cum Ludovici hanc sententiam recitasset; non per hoc tamen, subjicit, tu Princeps, qui te justitiæ amatorem profiteris, talem legem facere cogites, cum ut vides, esset contra omnem & juris, & æquitatis, & naturæ rationem. Nec tamen per hoc illis assentior, qui defensionem reo tribuendam putant, non invito tantum, sed etiam nocenti & nefario, quasi nemo etiam nocentissimus damnari possit, nisi prævia defensione. *Wesenbec. tit. de Accusat. n. 12. in f. Carpozov. Prax. crim. qu. 115. n. 4. & 5.* nec enim sceleribus connivendum, & intempestiva clementia affectanda, nec, etiam petenti reo, calumniosa defensio concedenda, necum non volenti obtrudenda est. *Farinac. d. 17. Lib. 1. tit. 3. qu. 21. 11. 77. 142. tit. 5. qu. 39. n. 55. seqq. Mantz. ad Const. Carol. crim. art. 47. n. 47. Zieritz. ad eand. art. 13. & 47.* De cetero defensio à bono iudice generaliter, si modo appareat, reo concedenda, nec etiam si jurato ei renunciatum sit, nec in atrocissimis delictis cuiquam deneganda est. vid. *Guazz. defens. 27. n. 3. defens. 31. Gomez. tit. de delict. c. 1. n. 6. Clar. qu. 49. n. 16.* & cum primis *Farinac. d. qu. 39.* frustra dissentiente quoad crimen læsæ majestatis *Bartolo in extrav. ad reprim. in gl. sine strepitu. Hier. Gig. t. qualiter in crim. læs. maj. proc. qu. 4.* Hoc amplius, cum species defensionis sit appellatio, sponte sequitur, de crimine condemnatis, appellationem à quocunque ipsorum nomine factam, ut ut invitis, nec rati habentibus etiam prodesse. *per l. 6. de Appellat.* quem textum ut oppido elegantem, & in defensionis materiâ apprimè notandum, *Ziglerus*

RUS

rus commendat. *Dicast. concl. 31. §. 5. & seq.* Idque ceu Ulpianus *in d. l. 6. in fin.* admonet *humanitatis ratione* contra juris regulas *in l. 1. in f. An per al. caus. app. red. pos. & l. 69. de R. J.* receptum est. Nec enim licere debet cuiquam suo arbitratu perire, vel corpus suum, cuius dominus non est, morti exponere; atque etiam interest hominis, hominem beneficio adfici, Tholosan. *de Appellat. L. 2. c. 7. n. 9. 10. 11.* Cujus humanitatis intuitu non solum quemque, qui pro aliis postulare non prohibetur, sed mulieres quoque, & cæcos, & cæteros vel prætoris edicto vel Canonum jure à postulando exclusos, pro damnato provocare posse opinantur. A. Matthæi *de Crim. ad L. 48. tit. 17. c. 5. n. 4.* Gu. Papæ. *de Appell. qu. 119. n. 83. p. 61.* Utrum verò id tunc solum admittendum sit, cum reus ultimo supplicio addictus est, an & cum salva vita aliis pœnis plectendus, variè dubitatur. Equidem verba legis de solo ultimo supplicio haud dubie loquuntur, ratio tamen humanitatis quæ eam induxit, ad alias quoque pœnas, veluti mortem civilem, membri mutilationem, & si quæ similes sunt, dispositionem ejus extendendam esse facile persvadet. Farinac. *Prax. crim. P. 3. qu. 101. n. 24.* (quem tamen, ut sibi ipsi contrarium, notat. Scacc. *de Appellat. qu. 5. n. 51.*) Hilliger. *ad Donell. Lib. 28. c. 6. G.* Eodem porro modo, quo invito per appellationem quæri potest defensio, multo magis vitæ fortunarumque, invito ut ut, præstari potest conservatio. Sic scilicet, qui damnatus est alternative ut vel manus abscissionem patiat, vel surrogata pecuniaria pœna eam redimat, redimere mutilationem hanc, si tantum in bonis habeat, etiam invitus cogi potest, quod membri abscissionem eligere & vel in membro mori, ei qui dominus

minus



minus membrorum non est, integrum haud sit. T. Decian. *tr. cr. l. 2. c. 6. n. ult.* Pariter, si quis fuerit condemnatus ad mortem civilem, nisi centum praestiterit, poterit ipso invito haec alius solvere vitamque ei servare. Tholosan. *de Appellat. l. 2. c. 7. n. 13.* Neque minus salutis suae improvidum atque invitum ex ruente domo extrahere cuius licitum est. Hippol. *de Marsil. Sing 109.* Captivum quoque, ut ut invitum, ab hostibus redimere; itemque, viceversa, pretium redemptionis invito redemptori, rursus offerre, legibus concessum est. *l. 6. C. de Postlim. revers.* D. Gothofr. *ad Aut. si captivi. C. d. Episcop.* Et ut generatim dicam, quicumque voluntatem ita pravam gerunt, ut etiam quae ex humanitate & pietate ipsis debentur officia, respuant, iis etiam invitis haec salubriter praestantur; nec quod inviti sint beneficium iis non conferri dicemus, nam & beneficiorum maxima sunt, quae à parentibus accipimus, dum aut nescimus aut nolumus. Seneca. *de Benef. l. 6. c. 23. seq.*

§. 7.

*Invitis acquiri, quae non tam privato quam publico jure tribuuntur.*

Superiori exceptioni istam subjungimus, qua publici boni intuitu publica quaedam munia invitis & renitentibus injungi & acquiri placuit, id quod ipsa munerum definitio indicat, *in l. 214. de V. S.* est enim munus proprie sumptum, quod necessario subimus, lege, more, imperiove ejus, qui jubendi habet potestatem. Hoc quamvis aut publicum aut privatam sit, *l. 14. §. 1. de muner. & honor.* non tamen est quod quis putet me legum

C

gum

gum suffragio destitutum publicum generatim appellasse, adstipulatur enim Arcadius *in l. 18. §. 28. d. 1.* dum omnia munera civilia seu publica appellari, refert. vid. Tabor. *de Metat. & epidem. P. 2. c. 1. §. 6.* Itaque & tutelam & curam munus publicum esse, Imperatori non minus *in pr. §. de exc. tutor.* quam naturali quoque rationi & gentium usui conveniens visum est. D. Schilter. *ad Pand. Exer. 37. §. 4.* Unde consequitur utrumque horum munerum necessarium esse, & invitis etiam acquisitum jam olim fuisse *in l. ult. pr. C. de Adm. tutor.* tametsi modos quosdam compellendi posterior ætas induxerit. L. B. de Lyncker. *in Anal. ad §. 3. Inst. de Attil. tut.* Sane tamen si curatotes ad quarundam solummodo rerum administrationem desiderentur, voluntarios esse, quærendos Ulpianus *l. 2. §. 3. de Curat. bon. dando,* in curatore bonorum respondit: nisi & magna necessitate, & Imperatoris arbitrio hoc procedat, ut & invitus crearetur. Salgado *Labyrinth. creditor. P. 1. c. 15.* Etsi enim hoc quoque munus personale sit, *l. 1. §. ult. de Muneribus,* non tamen simpliciter tale est, quale publicum, quod detrectare non licet. Donell. *23. comm. jur. 17. & ib. Hilig. D.* Idem hoc, quod de curatore bonorum diximus, de aliis quoque, ad actus speciales constituendis curatoribus, nec eos invitos dari, asserit. Ant. Faber. *C. S. Lib. 5. tit. 10. def. 4. lit. 27. def. 2. lit. 40. def. 6.* In curatore tamen ad litem secus, obtinere Molinao *ad Consuet. Parisiens. T. 1. §. 9. gl. 6. n. 11.* visum; quod & aliis *ad d. l. 2. §. 3. de Cur. bon. dando,* placet, cum hæc cura ad munus advocati hodie pertinere videatur; Enim verò hac ratione non tam exceptio in universum ad curatores in litem, quam potius ad eos tantum, qui officio procuratoris

toris

toris publico utuntur, referenda fuerit, cum L. B. de  
 Lynker *ad Struv. S. J. C. tit. de Tutel. tb. 7.* Nisi quod  
 in curatore mulieris ad litem alii contra sentiant, dum  
 has non minus ac pupillos vel minores judicialium  
 actuum incapaces, indeque illarum defensionem æque  
 munus publicum ac necessarium esse existimant. Frantzk.  
*L. 1. Resol. 17. n. 81.* Sed tamen nec mulieribus curato-  
 res ad litem invitos dari, communior sententia sciscit,  
 cui firmandæ Mollerus *L. 4. Sem. 23. n. 7.* scribit: & ego  
 quidem quamdiu in Aula fui, ubi quotidie fere ejusmo-  
 di curatores petuntur & confirmantur, vel generaliter  
 ad omnes lites, aut omnia negotia mulierum aut virgi-  
 num, vel ad unum quoddam negotium, vel certam ali-  
 quam litem, invitum quenquam datum non memini, ubi  
 enim quis confirmatus ex quibuscunque fere causis se ex-  
 cusat, jubentur mulieres & virgines, aut qui illarum no-  
 mine curatores petunt, ut alium nominent, qui ejusmo-  
 di excusationes non habeat. Hæc ille, cui add. Carpz.  
*P. 2. C. 15. def. 28. & tr. de jur. fæmin. Wibel. de con-  
 tract. mulier. c. 3. §. 8. n. 88.* De cætero & in his cura-  
 toribus locum sibi vindicat Ulpiani restrictio, *nisi & ma-  
 gna necessitate*, scilicet, si aut nullus voluntarius reperia-  
 tur, aut non æque idoneus sit quam nominatus, qui for-  
 te vicinus est, & habet rei præsentæ & pertinentiarum  
 ejus peritiam gubernandi, nec habet rationabilem ali-  
 quam excusationem, *& Imperatoris arbitrio hoc proce-  
 dat*, h. e. jussus summi Principis accedat, *ut & invitus  
 crearetur*; pluribus hoc explicante Molinao, *d. gl. 6. n. 4.  
 seqq.* & excipiendi sunt, qui officio procuratoris publico  
 funguntur, in quibus apud suos hoc servari Mevius *ad  
 Jus Lub. L. 1. t. 7. art. 11. n. 8.* scribit, ut advocati & pro-

curatores matriculæ inscripti, non possint, nisi ex præ-  
 gnanti causa, defugere id munus. Quia ad Advocatos  
 oratio nostra deflectit, tenendum est, hos quoque publi-  
 cum quodammodo & necessarium officium sustinere,  
*l. 2. de R. J. l. 1. §. 4. de Postulando*, quod subire etiam  
 inviti tenentur. Mantz. *de Advocat. n. 3.* Hunn. *Encycl.*  
*P. 2. l. 39. c. 2. n. 1. § 7.* Rudinger. *Sing. Observ. Cent. 1.*  
*Obs. 10. n. 5.* Nullo habito discrimine utrum in nume-  
 rum certum recepti sint, an non, modo jubentis impe-  
 rio subjecti sint. Nicolai. *Resol. 17.* Est tamen, ubi etiam  
 Advocati, quantumvis Ordinarii, justis de causis ab hac  
 necessitate excusantur; de quibus laudatus Nicolai *n. 13.*  
*seqq.* Num verò in his etiam, allegatio dubiæ vel malæ  
 causæ, locum inveniat, non satis expeditum est, ob ea  
 quæ probabiliter hac in parte disputat Cicero *de Offic.*  
*L. 2.* cum primis quod judicis esse videatur, semper in  
 causis verum sequi, patroni, nonnunquam verisimile,  
 etiamsi minus sit verum, defendere. Sane si jurati ju-  
 dicio adsint Advocati, nullum dubium est, quin judex ex  
 officio alicui eorum demandare possit, non ut causam  
 quatenus mala est instruat, vel omni modo & studio  
 eam implicet & jus pervertat, sed ut, maxime in judi-  
 cium jam tum deductam, dextre solideque, & secundum  
 judicii ordinem exhibeat, quo & cliens sibi nihil injuste  
 evenire intelligat, & judex intimius post discussionem  
 momenta causæ inspiciat, & per hoc justitiæ liquidius sa-  
 tisfiat, vid. Rachel. *ad d. l. Ciceron. Mev. P. 3. dec. 200.*  
 Poteram propositæ huic exceptioni illustrandæ, cetero-  
 rum quoque officiorum publicorum exempla, & in his,  
 quatenus aut imperandi aut parendi, aut judicandi ne-  
 cessitas invitis quandoque obveniat, subjicere; Sed verò  
 ne

ne prolixior sim in re non admodum dubia, defino hic, si unum illud addidero, quod de subeunda sorte curiali Imperatores in l. 3. C. de Nat. liber. constituere; liberos naturales, quos pater curiæ destinavit, hæredesque instituit, aut donatione cujuslibet quantitatis honoravit, licet hæc alienaverint, omnimodo tamen ad conditionem in qua pater eos amplificatis opibus esse voluit, etiam, invitos accedere cogi.

§. 8.

*Invitis acquiri, qua non solius acquirentis, sed tertii quoque alicujus utilitatem continent.*

Est enim verò & alia causa, ob quam acquirentis voluntatem negligere licet: scilicet, si non ad utilitatem ejus unius, cui quid defertur, sed tertii quoque alicujus, aut publicam omnino utilitatem acquisitio pertineat. Quod ipsum exemplis nonnullis, tum ex jure personarum tum ex jure rerum petitis, firmare nitar. Ex jure personarum est, quod servus à domino hæres institutus, siue velit, siue nolit, omnino post mortem testatoris protinus liber efficiatur, §. 1. §. de Hered. qual. & differ. cum honori testatis id datum sit, non ipsius servi commodo; ne vel dominus sine aliquo hærede (quod, quam molestum Romanis acciderit, Imperator. pr. §. de Bon. poss. it. N. 1. & Jctus in l. 6. de interrog. innuit:) decessisse intelligatur, vel æte alieno fortasse gravatus, ignominosam bonorum distractionem post mortem sustinere cogatur. §. 1. Qui & ex quib. caus. man. non poss. nam, ex diverso, si fideicommissio relicta libertas esset, eam,

C 3

invi-

invitus nec quicquam consequeretur. *l. ult. §. 2. C. de Testam. manumission.* P. Faber. *ad l. 69. de Reg. Jur. n. 14. §. 15.* Huic simile est, quod etiam ex tutelæ datione libertas ipso jure, indeque & invito servo proprio acquiratur; nam & hoc domini magis quam servi causa constitutum esse, inde manifestum redditur, quia si per errorem, quasi liber, tutor datus sit, aliud obtinet, neque tutela libertatis dationi patrocinator. *§. 1. J. Qui testam. tut. dar. poss. l. 24. §. 9. de Fideic. libert.* Eadem ratione, si quando is qui in possessione servitutis constitutus est, litigare de conditione sua non patitur, quod forte sibi suoque generi vellet aliquam injuriam inferri; æquum visum est, parentibus, cognatis, vel etiam uxori, dari facultatem invitum quoque asserendi in libertatem: quoniam semper parentum, & sic deinceps, inter est filium, cognatum, maritum &c. servitutem non subire, cum horum servitus ad dolorem injuriamque illorum non dubie porrigatur. Versa quoque vice, liberis sive legitimis, sive naturalibus, parentum etiam invitorum, eandem facultatem dabimus: neque enim modica filii ignominia est, si parentem servum habeat. Sed & in liberto nostro, vel liberta, idem erit dicendum: interest enim nostra, liberos libertasque habere. *l. 1. 2. 3. 5. pr. de liberal. caus.* Dispar conditio liberorum est, qui, ut *§. 4.* observatum, inviti emancipari non possunt; nisi sint indigni familia, nec enim parentis commodum est, efficere ne pater sit, cum ex contrario filio commodum sui, nihil tale merenti, per emancipationem eriperetur. vid. Balduin. *ad §. ult. J. Quib. mod. jus. patr. pot. solv. n. 14. Cujac. ad l. 62. de Verb. Obl. in f.* Super est, ut juri libertatis ac familiæ, jus civitatis addamus. *Quam*  
in

in rem ipsius Imperatoris Justiniani effatum exstat, in  
*l. ult. C. de Test. manumis*: Civitatem Romanam nemini  
 servorum recusare licuisse. Displicet equidem assertum  
 hoc Jac. Gothofredo in *l. 69. de Reg. jur.* qui inserta ne-  
 gativa, legendum putat; *Romanam civitatem recusare*  
*nemini non servorum licitum sit*: Sed cum mihi sufficiens  
 causa tam violentæ correctionis nusquàm occurrat, ma-  
 lo vulgatam lectionem sequi, quam subtilitate disputa-  
 tionum certitudinem legum labefactare; cum primis quod  
 & hic non tam servi quam Civitatis Romanæ rationem  
 leges habisse videantur, ne scilicet dedecorare dignita-  
 tem tantæ civitatis servo liceret, quam alii magno redi-  
 munt, & impetrant ægre. Cujac. *ad t. C. de Testam. ma-*  
*num. in f.* In jure rerum offert se primo loco, inter  
 exempla quibus invitis acquiritur ob alterius utilitatem,  
 hæreditas, quam non modo servo à domino hærede in-  
 stituto, necessario acquiri ex dictis constat, sed aliis etiam  
 & liberis personis, invitis aliquando accedere, secus quam  
 regula in *l. 16. C. de jur. delib.* habet, evenit. Sic enim  
 Senatusconsulto Pegasiano provisum est, ut si fideicom-  
 missarius, cui restitui debet hæreditas, suo periculo adi-  
 tionem fieri vellet, hæres fiduciarius invitus cogeretur  
 à Prætorè hæreditatem adire; quod postea, Senatus con-  
 sultò Pegasiano exploso, in Trebellianum, ut pleraque alia,  
 transfusum est. Nec refert quo jure fiduciarius hæres sit,  
 ex testamento an ab intestato, civili an prætorio; in  
 omnibus ex æquo Senatusconsultum locum habet, ut  
 extraneus adire, suus se immiscere cogatur. conf. de fi-  
 liofamilias, suo hærede à patre instituto, adversus. Ant.  
 Fabrum 7. *Conj. 7.* disputantem Hilliger. *Donell. enucl.*  
*l. 2. c. 22. A.* Modo vere fideicommissario jus ex fidei-  
 com-

commisso competat, & hæreditatem ei restitui ejus in-  
 terfit: cum enim omnis hæc necessitas acquirendi fidu-  
 ciario hæredi, non sui ipsius, sed fideicommissarii causa  
 imposta sit, sequitur, si vel nullum sit quod debeatur  
 fideicommissum, vel ejus cui debetur non interfit id ei  
 restitui, justam inprimis hinc fiduciario defensionem ad-  
 versus fideicommissarium, id quod vel nullum est, vel  
 unde nihil laturus sit, nisi ut officiat, petentem, enasci.  
 Deniq; ita demum invitus quam alii restitutus est, com-  
 pellitur adire hæreditatem, si nullum inde incommodum  
 ei obventurum sit; quod non minus in cæteris quoque  
 hujusmodi acquisitionibus, quibus alieni non sui com-  
 modi causa quid suscipitur, tenendum est, ne ulli in eo  
 officium suum sit damnosum. Ideo si quod incommo-  
 dum metuitur ex aditione, aut id averti debet à fideicom-  
 missario, aut si avertere non vult, vel non potest, invi-  
 tus adire hæreditatem non cogitur. Quæ omnia plu-  
 pluribus exposita videre est apud Donell. *Comm. jur. L. 7. c. 22.*  
 Est & aliud exemplum hæreditatis invito acqui-  
 rendæ *in l. 4. C. de Natur. liber.* Si enim naturalem fi-  
 lium habens, municipalibus eum voluit aggregare mu-  
 neribus, hæredemque ea conditione instituit, hæredita-  
 tem relictam hic repudiare non potest, sed muneribus  
 patriæ susceptis, etiam invitus eam subire cogitur: id  
 quod tum parentum causa, tum favore curiæ inductum  
 esse, ipsa constitutio arguit. Non verò universitas so-  
 lum, sed & singulæ res nonnunquam invitis ex hac cau-  
 sa acquiruntur, quod alterius quam acquirentis commo-  
 dum subsit. Unde quamvis emptio solo consensu con-  
 stet, nec regulariter invitus quis ad emendum, vel Prin-  
 cipis rescripto, cogi possit, *l. 16. C. de jur. delib. l. 11. C. de*  
*Com.*



*Contrab. emt. ibique Gotbofr.* quandoque tamen alterius causa emere quis cogitur. *Husan. de Hom. propr. qu. 5. n. 40.* Ut ecce, hæres gravatus à testatore emere, & præstare legatario rem alienam, quia ad legatarii commodum ea emptio pertinet, invitus eam peragere tenetur. §. 4. *Inst. de Legat.* Imò si non alteri, sed sibi ipsi, æquo pretio emere jufferit hæredem suum testator, adhuc utile erit legatum, nec hæres necessitatem emendi sibi que acquirendi effugere poterit: non tam favore ultimæ voluntatis, ut *Maulius de Contr. emt. vend. tit. 5. n. 7.* con- jicit, quam quia emptio hæc magis venditoris, quem proin legatarium appellat *Jctus, in l. 66. de Legat. 1.* quam emtoris gratia fieri debuit: quid enim si legatarius (ven- ditor) à quo emere fundum hæres jussus est, cum ex ne- cessitate eum fundum venderet, nullum inveniret em- torem, nisi hæredem testamento ad id damnatum? Ob publicam quoque utilitatem, veluti ut caritas annonæ evitetur, emere frumenta & alias res necessarias, subdi- tos compelli posse, inter omnes constat, ut nec ullo præ- textu privilegii, nec parandi difficultate inde excusentur, *Koepp, c. 11. dec. 59. n. 18. Struv. Exer. 23. tb. 6.* Multa, quippe jure civili contra rationem disputandi, hoc est, contra strictum rigorem, seu apices juris, pro utilitate communi recepta sunt. *l. 51. ad Leg. Aquil. Husan. de Ho- min. propr. qu. 5. n. 97.* Iisdem, quibus emptio venditio, regulis, etiam locatio conductio consistit, atque hinc ean- dem etiam instantiam patitur. Nam & conductori, quam- vis non rem ipsam, tamen rei usum invito aliquando ac- quirere, idque non ipsius, sed locatoris causa, dicendum est, vid. *Struv. Decis. Sabb. cap. 9. dec. 3.* Denique quantum- vis maxime odiosa sit communio, adeo ut invitus nemo

D

in

in ea persistere, ne dum subire eam teneatur, *l. ult. C. coram. div.* attamen Leoni placuit, *Nov. 102.* Si qui, cum maritima prædia habeant, quæ per se non ita multum lucri adferunt, cum vicino autem & adjacente prædio communicatione conjuncta, uberiores utilitatem reddant, ut si istiusmodi prædia mare versus non adeo singula lata sint, ut septi remoratorii constituendi jus habeant, ejus juris consequendi causa communione jungantur, & si dominorum alter communionem facere nolit, ad illam invitus etiam compellatur; quo modo ex parte aliqua illis ipsis utilitatem suam negligentibus, præcipue verò vicino, quem ita inhumanitas vicini male torquet, prospectum voluit. Patet ex dictis jura tam in personam quam in rem invitis acquiri, quibus nunc & actiones addo, cum Cujacio, *ad l. 62. de Verb. Obl. § l. 42. de Oblig. § act.* Maxime omnium tamen liberationem invitis debitoribus acquiri leges inculcant, ne diversam putes distractuum à contractibus rationem, *pr. Inst. Quib. mod. toll. oblig.* Exerte eam in rem Gajus, *l. 39. de Negot. gest. § l. 53. de Solution.* ait, solvendo quisque pro alio, licet invito & ignorante, liberat eum: cum sit jure civili constitutum, licere etiam ignorantis invitique meliorem conditionem facere. Quanquam non hac sola, etiam iterato à JCo repetita, ratione id inductum videatur, sed potius, ut recte D. Gothofred. *in l. 27. de Constit. pecun.* post P. de Castro notavit, quia solutio creditoris quoque, non debitoris modo utilitatem continet. Imo non tantum is qui solvit, sed & is qui judicium pro debitore accipit, invitum & nolentem liberat, *l. 23. de Solut.* quandoquidem in eum qui se liti offert, & pro alio eam excipit, judicati actio transfer-

tur,

tur, & velut novatio fit. Briffon. *de Solution. L. 1.* Multo magis igitur qui voluntaria novatione alienum debitum suscipit, & solutionem promittit, invitum & nolentem debitorem liberat. *l. 8. §. ult. de Novat.* Quare quod Labeo dicebat, præsentem debitorem à creditore invitum absolvi & liberari non posse, Paulus cum hac moderatione accipiendum esse notat, ut non directo quidem & quovis modo, sed supposita persona extranei, à quo debitum novandi causa stipuletur creditor, debitorem suum & præsentem & invitum liberare, ita etiam sine acceptilatione, sine pacto, & sine delegatione possit: cum fieri nullo modo queat, ne soluta, quod ad creditorem attinet, obligatione, liberetur debitor, atque ut maxime liberari noluerit, præscriptione doli mali excludatur creditor. *l. 91. de Solution. P. Faber. ad l. 68. de Reg. jur. Cujac. add. l. 62. de V. O.* Non alienum hinc est quod adversus eundem Labeonem Pomponius, suffragante Paulo in *l. 27. de Constit. pecun.* observat: *Hoc amplius, sic verba habent, etiam invito debitore constituere eum posse, Pomponius libro trigesimo quarto scribit. Unde falsam putat opinionem Labeonis existimantis, si postquam qui constituit pro alio, dominus, sive debitor, ei denunciaret ne solvat, in factum exceptionem constituenti dandam, quasi deficiente causa constituti: sed rectius nec immerito Pomponius hanc Labeonis sententiam improbat: nam cum constitutum non cum debitore, ut delegatio, sed inter creditorem & constituentem unicè contrahatur, sequitur debitorem alienum negotium rite peractum suo dissensu irritum reddere non posse: ergo cum semel sit obligatus qui constituit, factum debitoris non debet eum excusare, aut exceptionem ei tribuere, qui alienam obligationem*

nem volens suscepit. conf. Duaren. *in tit. de Constit. pec. c. 3.* Illud quoque expeditum satis haud est, utrum liberatio invito debitori acquisita, ipso jure eum liberet an demum ope exceptionis? Vinnius *in d. pr. Inst. Quib. mod. obl. toll. n. 9.* ad effectum liberationis quæ debitori contingit, nihil interesse putat, pro debitore sciente & volente, an pro ignorante, adeoque pro invito & ventante quis solverit, utrobique enim ipso jure, non demum ope exceptionis, debitorem liberari; hac nifus ratione, quod cum creditor accipiat, quod est in obligatione, necesse sit eam extinguere, ipsoque jure liberari debitorem. Locamerus *in Quest. Justin. 324.* verò, referre ait, ut si debitoris nomine, & eo vel mandante vel ratum habente solvat, eum ipso jure liberet; sin suo nomine, vel pro ignorante & invito, nonnisi ope exceptionis debitorem post conventum defendi posse. Quod & verius puto, propter supra laudatam Pauli notationem, *in l. 91. de Solut.* qua indigitat, quod ad creditorem attinet, qui invito debitore ab alio novandi causa debitum stipulatus est, statim quidem, & etiam sine acceptilatione rem seu obligationem periisse, quoad debitorem tamen ipso jure eam adhuc durare, & ideo istum creditorem doli mali exceptione excludere debere. Hanc enim JCTi *in d. l.* mentem, nec ad secundum seu expromissorem, sed ad ipsum principalem, sive primum debitorem, præscriptionem doli mali referendam esse, persuasissimum habeo, ut & P. Fabro placuisse *in d. l. 69. de R. J. n. 8.* vidi; quamvis communem sententiam in contrarium niti non ignorem. Nec hinc dimoveor quod JCTus Paulus novandi causa creditorem debitum stipulatum fuisse, proponat, cujus novationis ea vis ac pote-

potestas est, ut obligationem priorem ipso jure perimat. Castrensis *in d. l. 91*. Tum quia hic supposita persona expromissoris, novam obligationem, per quam prior perempta dici possit, vere non contraxit; cum non tam obligare, quam intentam à creditore liberationem expedire in animo habuerit: tum quia sufficit obligationem priorem statim peremptam esse quod ad creditorem attinet, quamvis debitor, liberationem admittere nolens, ipso jure adhuc teneatur. Neque enim necesse est, quod Vinnius objicit, ut cum creditor remittit, aut juris fictione, per interpositam personam, accipit quod est in obligatione, eandem etiam quoad debitorem ita extinguere, ut is quoque ipso jure liberetur; postquam & possessor hæreditatis, quanquam vere solvit creditoribus hæreditariis debita, attamen petitorem hæreditatis eum verum eorundem debitorem ipso jure non liberat, qui si à creditoribus conveniatur, exceptione uti debebit, quod pecuniam petant quæ penes illos est. *l. 31. pr. de Hered. petit.* Non obest denique, quod si pro me quis solverit creditori meo, licet ignorante me, acquiratur mihi actio pignoratitia, & pignus prætorium tollatur. *l. 40. de Solution.* quorum nihil fieri potuisse, nisi debitor ea solutione esset liberatus, Donellus urget. *16. comm. jur. 10.* Nam neque in hac sola liberationis specie quæ ipso jure fit, sed in omnibus speciebus liberationum etiam pignora liberantur, *l. 43. d. 1.* nec ultra invitus haberi potest debitor, qui instituta pignoratitia, aut impetrato interdicto pignus repetit. Velim tamen hæc omnia sic accipi, ut non tam iudicio communi stabilita evertere, quam in re explicationem difficilem habente, disputando vires periclitari ac latentem scintillam veri hoc modo excutere voluisse

videar, paratus quæ probabiliter adversus ea dici poterunt in conflictu excipere.

## §. 9.

*Invitis acquiri quedam mere civili ratione.*

Tandem peculiari, & mere civili ratione, evenit, ut quædam acquisitiones, ab iis factæ quibus sibi acquirere per lege non licet, aliis & invitis & vetantibus cedant. Nam quod servi ex qualibet causa acquirunt, dominis etiam ignorantibus & invitis obvenit. §. 3. *Inst. Per quas pers. cuique acq. l. 10. §. 1. l. 32. de Acq. rer. domin.* Sive hoc ex traditione, sive ex stipulatione, sive ex donatione, sive ex legato, sive dotis causa nacti fuerint. *dd. l. juncta l. 46. pr. de Jure dot.* Non solum autem proprietates sed etiam possessio per eos dominis acquiritur: sed an hæc quoque invitis? minime verò, quoniam possessio non acquiritur nisi animo & corpore simul. *l. 1. §. 9. verbis: volumus possidere. l. 3. de Acquir. poss.* possumus autem corpore quidem etiam alieno acquirere, non verò & animo. Quia corpus alienum nobis ministerium præstare potest in apprehendenda possessione: sed ut velimus, alius nobis præstare non potest, est tantum in nobis ut velimus, non in aliis. *Beym. ad l. 1. §. 5. de Acq. poss.* Atque hinc arcessenda ratio est, cur nihilominus in causa peculiari diversum obtineat, ut siquidem ex causa peculiari possessionem servus nactus sit, ea etiam ignorantis domino acquiratur; quanquam ne sic quidem invito. *l. 1. §. 5. l. 3. §. 12. l. 24. l. 44. §. 1. d. 1.* Nimirum  
sufficit

sufficit ad hoc quo voluntate nostra possessionem acqui-  
fisse dicantur, animum nostrum quodammodo & in ge-  
nere concurrere, etiamsi specialis voluntatis declaratio  
in ipso actu apprehensionis non interveniat. Igitur cum  
voluntate nostra servus peculium tenet, acquirit nobis  
etiamsi ignoremus quo momento aut tempore posses-  
sionem apprehendat; quod utilitatis causa receptum  
est, ne per singula momenta cogerentur domini causas  
& species peculiorum inquirere. *l. 44. §. 1. d. 1.* Imo  
per liberam quoque personam ignoranti acquiri posses-  
sionem, & postquam scientia intervenerit, usucapionis  
conditionem inchoari posse, tam ratione utilitatis, quam  
jurisprudentiæ receptum esse Severus & Antoninus re-  
scripserunt. *l. 1. C. de Acqu. poss.* & Paulus in *l. 49. §. ult.*  
*de Acqu. vel amit. poss.* possessio, inquit, per procurato-  
rem ignoranti quæritur: usucapio verò scienti compe-  
tit. Balduin. *ad Inst. tit. Per quas pers. cuique acqu. §. 3.*  
*n. 9.* Decetero quemadmodum alia res per servos, ita  
etiam obligatio per eos invitis quoque & vetantibus do-  
minis acquiritur; ceu de stipulatione per servum invito  
domino facta, diserte probat Jctus in *l. 62. de Verb. Obl.*  
& amplissime explicat Donellus. *in d. 7.* Illud singulare  
est, quod hereditas domino per servum, ne quidem vo-  
lenti acquiratur; sed iussus domini præcedere debet:  
*l. 25. §. 4. de Acqu. poss.* quod summa ratione constitu-  
tum videtur, ne scilicet in potestate servi sit, dominum  
invitum ari alieno hereditario obligare. *l. 6. de Acqu.*  
*bered.* Dices, in aliarum quoque rerum acquisitionibus  
periculum aut incommodum subesse posse, cui domi-  
num invitum implicari iniquum sit: Enimverò sciendum  
est, summo quidem jure hæc dominis ita acquiri, si tamen  
id

id

id quod ipsis hac ratione quaesitum est, habere nolint posse eos hac repudiare & rejicere; neque enim incommutabiliter iis acquiritur, verum prima tantum facie fronteque. *l. 19. §. 2. de Donat.* Balduin. Vinn. *ad §. 3. Inst. Per quas pers. acqu.* Jac. Gothofred. *ad l. 69. de R. J. inf.* Hujus autem necessariae acquisitionis non alia ratio quaerenda, quam qua ipsi Imperatori *in d. §. 3.* ex Gajo relata est; nimirum, quia in persona servili acquisitio momento quidem consistere potest, hinc ut ea consistat substernitur, substituitur, vi ipsa legis potestateque juris, domini persona. Est tamen eadem fere ratio, qua servorum, etiam liberorum in potestate nostra constitutorum, ut quamvis vetante patre quid stipulati aut nacti sint, patri acquiratur: nam & hi potestate juris, illis quorum in potestate sunt, tam arcto vinculo junguntur, ut quicquid ad eos pervenit, illis acquirant. Donell. *com. jur. L. 12. c. 17.* Excepto eo, quod juxta diversitatem peculiarium, in ipsorummet filiorum familias persona subsistere potest. Sed & aliud, quoad acquisitionem ex causa peculiari, inter filiosfam. & servos occurrit discrimen; quod filius acquirat patri, etiamsi ignoret pater se filium in potestate habere, *l. 4. de Acqu. poss.* dominus vero non acquirat per servum, quem ignorat in sua potestate esse. Cujus discriminis illam adfert causam. Beyma *ad d. l. quod filius acquirat patri* ratione patriae potestatis tantum, non ratione possessionis, qua non cessat, licet ab alio possideatur: Servus autem domino acquirat magis ratione possessionis, quod illum aequae ut aliam quamlibet rem sibi possideat. *l. 1. §. 6. l. 50. §. 1. de Acqu. poss.* In universum vero illud constat, multa in vitis acquiri per consequentiam, qua principaliter in vitis

vitis



vitis acquiri non possent. Sic fundus non acquiritur invito, quod autem illi acquisito accedit per alluvionem, utique & invito acquiritur. Hillig. *ad Donell. L. 12. c. 17.* Ita fundum emere non tenetur invitus, si tamen quis partem communis fundi emerit, & iudicio communi dividundo altera pars adjudicata sit emtori, hæc quoque pars venditori invito accedit. *l. 13. §. 17. de Action. emt. vend.* Idemque in hæreditate acquirenda receptum est. Nam & hanc nemo extraneus invitus subire cogitur; si tamen hæreditatis partem adierit quis, deinceps reliquorum cohæredum portiones deficientes invitus acquirat. *l. 31. de Acqu. her. l. un. C. de Caduc. toll.* Quanquam in utraque hac specie necessariæ acquisitionis, aliæ quoque causæ concurrant; scilicet quod in priori casu, emtor non sui commodi causa, sed in gratiam alterius emere, hæres autem, in casu, posteriori, juris quadam necessitate, quod neminem paganum pro parte testatum & pro parte intestatum decedere patitur, invitus acquirere obstructus fuerit. His convenienter etiam per animalia nostra nobis ignorantibus capta, nobis accedunt: Etsi enim à nobis capta, ea demum quæ nostra cura & industria capta sunt, dicantur, veluti, si aper incidit in laqueum, quem venandi causa posueram, si in eo ita hæserit ut expedire se non possit, *l. 55. de Acqu. rer. dom.* ubi satis est nos tetendisse laqueum animo ejus acquirendi, etiam si tum forte, cum eo implicaretur, absentes & ignorantes fuerimus; tamen non dubito quin de animalibus nostris, quæ in hoc aluntur, ut ultro in venationem eant, ceu de canibus illis quos vertagos veteres appellabant, relatum est, idem dicendum sit, ut si quid ultro ceperint, nobisque nihil tale agentibus ultro domum re-

E tule-

tulerint, nobis acquisitum habeatur. Quia nec in animalibus his acquisitio stare potest, quin ad dominum referri debeat, *Non sibi, sed domino venatur vertagus acer;* neque minus per consequentiam ad eum transit per animalia sua, quam quod per servos suos occupavit. Confer de quaestione hac, & alia haud dissimili, de avibus allectatricibus, si domino absente, alias sui generis alluciendo, incautas in retia duxerint, Balduin. *ad §. 12. verb. quicquid autem. §. de Rer. div.* Mihi hic filum abrumpendum est, quod longius ducere, & telam per texere imminens diceffus prohibet; si verbo monuero, acquisitionibus quæ ratione quadam civili invitis fiunt, non incommode etiam illas accenseri posse, quas metu coacti subimus, cujus exemplum, in eo qui metu coactus hereditatem adiit, Paulus exhibet *in l. 21. §. ult. Quod met. caus. juncta l. 58. de Acqu. hered.* Subsisto igitur, & TRIUNI DEO LAUDEM AT-  
**QUE GLORIAM**  
**TRIBUO.**

**Q**uis sibi saepe solent homines **AD-  
 QUIRERE** quicquam,  
**INVITOS** vulgas Dulcis ami-  
 ce, **MODOS.**  
 Et liquet, **INVITIS** inimicis, omnia  
 fieri,  
 Quod modo cunque facit sedula Musa boni.  
 Hinc

§ (o) §

Hinc simul INVITO conscendis pulpita  
momo,

Ac opus INVITUS suscipis ipse  
Tuum.

Mentis Te stimulant praestantia dona po-  
lita,

Ut, licet INVITUS, laurea rostra  
petas.

Haut quaedam monstras, INVITA pansa  
Minerva,

Doctrina spargis splendida signa Tua.

ADQVIRIS laudes, magnos ADQVI-  
RIS honores,

Dum placet INVITOS pingere Jure  
MODOS.

Ipsa Tuos effert conatus invida turba,  
INVITA quamvis omnia mente  
fluant.

Laudo. Sed mentis certe timor ipse vere-  
tur,

Ne laus INVITO flumine forsan eat.

Ex fibris igitur cordis Tibi gratulor imis,

Ac non INVITA prosperamente precor.

Ne, precor, INVITIS votum, precor, auri-  
ribus audi,

INVITA prorsus quod Tibi scribo crenâ:

E 2

Faxit.

§ (o) §

*Faxit cunctipotens rutilantis Rector olympi,  
Te non INVITO fata parare MODO!  
Denuo cum Patriam mediteris adire coru-  
scam,  
Te non INVITO, fiat, abire MODO!*

Ita Nobilissimo eruditissimæ disserta-  
tionis *Auctori*, Dno. *BEURMANNO*,  
suo hactenus Socio mensæ longe  
amicissimo, abitum in Patriam pa-  
raturus, fata ad vota adprecatur,

M. CHRISTOPHORUS Weissenborn.

